Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 887
Quelle:
Copyright:



ſae Officium de S. *Corbiniano*. Incipit a Tropo ſeu Proſa: *Adeſt beatiſſimi Corbiniani diei electa feſtiuitas. Gratulantes hodie iubilent katholici letabundi. Memor noſtri ora pater, quatenus relictis ſordibus terrenis uniamur chriſto ymnologis zeumatibus* (ζευγμα) *adherentes ei in eternum. Evovae.* Id, quod literas vocales τȣ *ſEcVlOrVm AmEn* exprimit, ne quis Bacchicum illud Ἐυ ὑιε, *Evoe* arbitretur. Sequuntur *Reſponſoria, Verſus, Ymnus, Antiphonae, Inuitatoria*, Miſſa, atque omnia iſta Titulum praeferunt: *Hyſtoria ſancti Corbiniani Epiſcopi Eccleſie Friſingenſis.* quo titulo illa reperi in *Breviario* Eccl. *Patauienſis* curante *Leonardo Allantſe* Bibliopola *Vien.* impreſſo *Venetiis* 1505. 8. non tamen ad VIII. *Sept.* ſed ad XX. *Nov.* quo die ejus *Translatio* celebratur. Ad calcem alia, ſed aeque antiqua manu adſcripta eſt ad notulas muſicas *Sequencia de ſancta Agnete:*

*Laus ſit regi glorie*
*Cuius formam gratie*
*Solis ſplendor obſtupeſcit*
*In orto eccleſie*
*Lylia colligere*
*Tamquam ſponſus dum proceſſit* &c.

CCCXCIII.

U. 261 Codex chartaceus lat. Sec. XV. et XIV. Folior. 354. f. non una manu per duas columnas exaratus, rubricis enotatus, et olim, ut frons praefert, a *M. Andrea de Weytra art. et ſac. pag. Profeſſore, ad D. Stephani Canonico et Collegii B. M. V. Rubee Roſe apud fratres predicatores in Wienna Superintendente* eidem *Collegio* legatus praevio Contentorum Elencho incipit a *Paſtorali Gregorii M.* Praemittitur Index *Capitum* idem, qui edit. Maur. Pariſ. 1705. T. II. Opus inchoat: *Paſtoralis cure me pondera fugere* &c. Lectio ſubinde claudicat; eſt tamen, ubi Codicem audire malis. Ita ad *Praef.* finem: *qui pondus magiſterii tanto levius aeſtimant, quanto vim magnitudinis illius ignorant;* certe rectius noſter: *quanto vim gravitatis* &c.

II. *fol.* 52. ſequitur *Gregorius ſuper cantica.* Initium: *Poſtquam a paradiſi gaudiis expulſum genus humanum* &c. Abjudicaverat ab *Gregorio* Expoſitionem hanc *Petrus Guſſanvillanus*, ſed reddidere bono jure *Mauriani*, ut habes T. III. *col.* 397. Codex noſter ad calcem: *Explicit liber ſit ſcriptor crimine liber*, et rubro: *Explicit expoſicio gregorij ſuper cantica.*

III. *fol.* 88. ut in calce: *Tractatus dulciſſimus Beati Bernhardi ſuper ewangelium Johannis videlicet: Ante diem feſtum ſciens ieſus quia venit hora eius* &c. Ita creditum, donec moneret Card. *Job. Bona* Sermones hos XV. *de Verbis Domini in Coena* cum Prooemio eſſe poſterioris cujusdam Abb. *Ogerii* ſeu *Oglerii Lucedi-*

*enſ.*